



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De usu Pontificalium pro Abbatibus Ordinis Cisterciensis.

Animadversiones super voto Magistri Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae P.

Scrpsit Dr. Robert Trilhe, Ord. Cist.

De insigniis Pontificalibus haec ad instar principiorum recolenda sunt: Insignia ista sunt dignitati episcopali omnino propria, ac proinde de iure nonnisi episcopis competunt. (Decr. Ex Romanorum Pontif., S. R. C. 27. Aug. 1822.) Sapientissime tamen ordinavit Ecclesia Romana, ut iisdem, saltem ex parte, et cum moderatione, nonnulli praelati uterentur: quae concessio, cum restrictione, postea extensa fuit ad certos viros in dignitate ecclesiastica constitutos, et ad insignes quosdam capitulos. Condecens enim erat, ut qui episcoporum onera laboresque ex parte subeunt, ipsorum iurium insigniumque etiam ex parte participes fierent: atque eo plenius quo magis iurisdictionem episcopalem imitantur.

Ipsis tamen nonnisi ex privilegio haec competunt: ac proinde constare debet de existentia huius privilegii vel ex indulto, vel ex consuetudine. Ex indulto quidem, quia cum de iure pontificalia hisce praelatis vel canonicis non competant: imo, cum sint insignia ista privative episcoporum, censentur aliis de iure prohibita, ac proinde ille solus qui potestate gaudet iuris dicendi in tota ecclesia, leges scilicet ferendo tum generales tum particulares, easque abrogando, hoc privilegium conferre potest. Ex consuetudine autem, 1^o quia consuetudo leges inducere potest, ac proinde etiam privilegia; 2^o quia consuetudo centenaria vel immemorialis, quae privilegiata dicitur, „ex temporis

diuturnitate ingerit praesumptionem tituli, et induit naturam privilegii a principe concessi.“ (Santi, l. I, tit. 4, n. 21.) Vel ut ait Reiffenstuel (lib. 1, tit 4, n. 189.) „Quia pro consuetudine immemoriali praesumitur justus titulus: nam possessio temporis immemorialis est instar tituli: imo qua non potest allegari melior titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus, in c. Cum Apostolica, n. 6. De his quae fiunt a praelat. etc. Insuper consuetudo antiquissima, vel hominum memoriam excedens, habet vim privilegii a principe concessi, arg. c. Super quibusdam, 16, de Verb. signif. Ubi Glossa. X. Non extat memoria, inde concludit, et diligenter notandum inquit, quod consuetudo illa, cujus initii non extat memoria, jus, sive privilegium inducit, ut l. Hoc jure. § Ductus aquae, ff. de Aqua quotidian. cum similibus.“

Concilium Tridentinum (Sess. VII, c. V, de Sacramentis in genere) et post ipsum innumera S. Rit. Cong. S. Cong. Concil. et S. Cong. EE. et RR decreta statuunt nullum Episcopum pontificalia in alterius dioecesi exercere posse nisi de Ordinarii expressa licentia; quod tamen in comitiis ordinariis Academiae liturgicae Romanae die 8 Januarii 1896 habitis cum quadam distinctione intelligendum esse nonnulli autumarunt, restringentes licentiae necessitatem ad pontificalia quae prae se ferunt exercitium iurisdictionis, puta ordinum collationes, minime vero requirentes pro functionibus honoris tantum, ut sunt missa pontificalis ad faldistorium, Vesperae et alia huiusmodi. (Analecta Juris Pontificii, 1896, col. 347.)

Quoad praelatos vero inferiores, vel omnino eis prohibetur usus pontificalium extra proprias ecclesias (S. R. C. 27. Sept. 1659. — Pius VII., Decet Romanos Pontif.) vel, si paucos excipias, debent, saltem ex stylo hodierno, expressam Ordinarii licentiam requirere. (Pius IX. 29. Aug. 1872. Apostolicae Sedis Officium.)

Quaestio ergo solvenda est sequens:

Utrum Abbates Ordinis Cisterciensis possint extra proprias ecclesias pontificaliter celebrare?

Et videtur quod non possint. Nam ut argumentatur Magister Caeremoniarum Cathedralis ecclesiae P.

1°. Nulla materia in re liturgica habetur magis praecise determinata privilegiis Abbatum. Cum insuper sint „laesiva dignitati episcopali, de iure strictissime sunt interpretanda. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi posset consequentia ad alia quae singillatim descripta non fuerint.“ (Pius VII. 27. Aug. 1822. Decet Romanos Pontif.) Sed, ut animadvertit Summus Pontifex in

eadem constitutione, (sub num. 2 et 3). „Praelati episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatori, statutis tantum diebus, in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV. confirmata.“ — „In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.“

2°. Praeterea citatum decretum Alexandri VII. (S. R. C. 27. Sept. 1659) destinatum fuit „tollendis et eliminandis circa ecclesiasticos ritus abusibus... quoad inferiores praelatos qui pontificalium usu fruuntur“. Propterea privilegia in hoc decreto concessa sunt stricte interpretanda: atque, ut aiunt de Herdt et Castaldus, nonnisi in propriis ecclesiis a iurisdictione episcopali exemptis exerceri possunt.

3°. Confirmatur ex decreto S. R. C. (28. Junii 1642): „Abbas cum usu pontificalium, iisdem extra limites locorum sibi subjectorum absque indulto Sedis Apostolicae nec sine nec cum licentia dioecesanorum uti non potest.“

4°. Haec eadem S. Congr. (11. Julii 1739) statuit: „Nequit episcopus abbatibus aliisque praelatis inferioribus, exercitium pontificalium restricte habentibus in suis tantum ecclesiis, facultatem seu licentiam impertiri exercendi illa in ecclesiis ipsis non subjectis, sive saeculares fuerint sive regulares suae dioecesis.“

5°. Ut omne insuper effugium praecludatur, citatum decretum Alexandri VII. ita concluditur: „Indulsitque (Sanctitas sua) praeterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, praefatos etiam per censuras compellere.“ — Hisce proinde innixa decretis, S. R. C. (22. Nov. 1664) respondit posse episcopum Calaguritanum prohibere usum pontificalium Abbatibus S. Mariae, S. Michaelis Cucullae, et de Valbanera, Ordinis S. Benedicti, et reliquis eiusdem dioecesis abbatibus donec legitimum et authenticum privilegium exhibuerint.

6°. Denique ut abusus qui de novo irreperant omnino tollerentur Benedictus XIV. praedicta decreta Alexandri VII., die 31. Martii 1744, renovavit, mandans „quod non solum fieret nova praedictorum decretorum impressio, sed etiam quod ad omnes et singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur ad hoc, ut pro munere quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras eosdem affectos esse decet, exactam eorundem decretorum observantiam urgeant et compleant.“

Sed contra est quod decernit Rota Romana in Lucensi (26. Junii 1662) in haec verba: „Licet abbates prohibeantur exercere pontificalia extra eorum ecclesiam ex decreto Sacrae Congregationis Rituum, edito 1659, 27. Septembris, hoc tamen

non procedit, quando contrarium ex privilegio doceatur.“ (Decis. recent. part. 3. decis. 193. num. 10) Unde ipsamet Sac. Rit. Congregatio (die 17. Junii 1660) ad quaestionem: An sub decreto per S. R. Congr. emanato die 27. Sept. anni praeteriti 1659 fuerint comprehensi Abbates Cisterciensis Ordinis, utpote specialibus Summorum Pontificum privilegiis insigniti? Responderat hoc decretum non efficere aut comprehendere Cistercienses Abbates „tanquam privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, quibus Sacra Congregatio derogare numquam suis decretis intendit.“ (Analecta Juris Pontif. t. 2. col. 2206.) Ofr. Avignono, Manuale Cisterciensium Italiae Abbatum verb. Pontificalia et Rob. Sala, Rerum liturgic. Card. Bonae tom. 2. lib. 1. cap. 24.

Respondeo dicendum quod alicuius regionis vel communitatis mores non regulantur tantummodo a iure communi, sed etiam, imo et potius a iure particulari et a privilegiis, quae sunt quasi privatae leges. Et ideo in praesenti materia attendi debent non solum decreta a S. Rit. Congr. sub Alexandro VII., Benedicto XIV. et Pio VII. emanata, sed etiam consuetudo uniuscuiusque Ordinis vel Monasterii, et privilegia a Romanis Pontificibus ipsis concessa. Cum vero privilegiorum Ordini Cisterciensi liberalitate Sedis Apostolicae collatorum summarium a R. P. D. Hilarione Rancati, Procuratore Generali, S. Rit. Congregatione exhibitum fuisset, post editum decretum diei 27. Sept. 1659, eadem S. Congregatio declaravit, ut modo dictum est, se numquam intendisse privilegiis derogare. Ergo talia decreta spectant ad illos quibus usus pontificalium est concessus, quin statuatur in ipso privilegio modus et ratio utendi. Cistercienses vero, ut verbis S. Congr. EE. et RR. utar in aliena quidem causa prolatis, sed cum nostra aliquo modo connexa, cum ageretur de privilegiis etiam Conc. Tridentini decretis adversantibus: Cistercienses, inquam, „offrono certamente una singolerita di privilegii tanto più rispettabili, quanto lungamente concessi.“ (13. Julii 1730; Bizarri, Collectan. 341.) — Extra quaestionem tamen esset omnia Cisterciensium iura circa usum pontificalium retexere: ea tantum quae ad punctum controversiae pertinent adumbrare sufficiat.

Haec autem iura probantur: 1° Ex privilegiis Romanorum Pontificum; 2° Ex consuetudine antiquissima omnino certa; 3° Ex usu hodierno.

I. Ex privilegiis Romanorum Pontificum. Praecipuum ex huiusmodi indultis illud est ab Innocentio VIII, Exposcit, 9. Aprilis 1489, expeditum, cuius exemplar habetur tum apud Rodericum in nova Collectione Bullarum, tom. 1.

Const. 5, tum in omnibus bullariis Ordinis, et signatim citatur in omnibus litteris confirmationis Abbatum Cisterciensium, cum sit privilegium antiquius, in quo etiam expressius designentur omnia iura Cisterciensibus concessa circa pontificalium usum, licet tamen omnia non contineat. (Cfr. Collecta quorundam privilegiorum Ordinis a Joanne de Cirey edita; d. Meschet, Privileges de l'Ordre de Cîteaux; Henriquez, Regula, Constitutiones et Privilegia Ord. Cist.; Avignono, Manuale Cist. Italiae Abbatum, v. Pontificalia.)

In isto porro indulto ad Abbatem Cistercii quatuorque primos Patres Ordinis directo conceditur ut possint „praedicta (superflus in precibus enumerata) et quaecumque alia vestimenta, ac ornamenta ecclesiastica, corporalibus, vasculisque ad reponendam sacram eucharistiam ac imaginibus quibuslibet comprehensis, in locis et domibus dicti Ordinis benedicere, et calices consecrare, tam de dicto Ordine, quam si ad vos aliunde deferantur, ac Altaria... *in quibuslibet locis dicti Ordinis*.... consecrare, et etiam benedictionem solemnem post missarum, vesperarum et matutinarum solemniam in quibuslibet monasteriis, domibus, atque locis dicti Ordinis *utriusque sexus*... elargiri.“ — Jamvero ut huius indulti vis et comprehensio bene perpendantur, abs re non erit animadvertere Abbatem Cistercii habere quidem iurisdictionem in toto Ordine, minime vero quatuor primos Patres, cuius iurisdictioni non se extendebat ultra lineam seu generationem suam: imo eorum auctoritas iurisdictionis ordinaria non se extendebat immediate nisi ad domos filias; idem dicendum est de Abbate Cistercii Capitulo Generali sedente. Hinc, illae benedictiones et consecrationes de quibus supra, quae sunt actus pontificales et pontificalium insignium usum requirebant, extra proprias eorum ecclesias exercere valebant, in ecclesiis scilicet vel locis ipsis non subiectis, imo etiam in locis a iurisdictione episcopali minime exemptis. Etenim in priori indulti parte indicatur quod nomine locorum ordinis, in quibus praefati Abbates solemniter benedicere possunt, veniunt „ipsa (Cistercium, scil. Firmitas, Pontiniacum, Claravallis et Morimundum) et alia monasteria et prioratus illis subiecta, *ac parochialibus et aliis ecclesiis ad eos communiter vel divisim pertinentibus quamvis eis pleno iure non subessent*.“ Hoc enim petierant Abbates, utpote iam concessum, confirmari: Innocentius vero VIII indulget ut altaria consecrare et solemniter benedicere possint non solum in locis sibi subiectis supradictis, sed etiam „*in quibuslibet locis dicti Ordinis.. utriusque sexus*“; ac proinde etiam aliis abbatibus, quamvis non pleno iure, subiectis, nullomodo sibimetipsis; quin et in ipsis monasteriis monialium, quorum nonnulla, licet dicerentur et

vere essent Ordinis Cisterciensis vel Cisterciensia, utpote sub regula et habitu Ordinis fundata, ab eius tamen visitatione et correctione sequestrata, sub Ordinariorum vel Summi Pontificis immediata iurisdictione vivebant. — Ergo Abbati Cistercii et quatuor primis exercitium pontificalium permittitur, et quidem non restricte ad certos dies et certa insignia, ut ex ipsius indulti contextu videre est; non solum in propriis ecclesiis, sed extra; non solum in locis Ordinis a iurisdictione episcopali exemptis, sed etiam in iis qui tali iurisdictioni subsunt.

Praeterea in ipsomet indulto declaratur usum pontificalium iisdem Abbatibus vigore antiquorum privilegiorum competere in istis locis, cum rescripti scopus fuerit non concedendi praedicta, sed solvendi dubium: „An tu et dicti Abbates pallas et alia ornamenta huiusmodi *extra ipsius Ordinis Monasteria*, et etiam illa quae ad monasteria et loca dicti Ordinis non spectarent, et an possint *in quibuslibet aliis monasteriis et locis dicti Ordinis utriusque sexus* benedicere.“ Innocentius vero VIII eadem confirmat et de novo concedit et extendit privilegia, ac nova etiam addit

Nec dicas haec omnia non convenire nisi Abbati Cistercii in toto ordine, aliis vero in monasteriis sibi subiectis tantum. Nam ex dubio mox citato et ex toto contextu liquet haec omnia quatuor primis competere, nam Summus Pontifex, ut ipsemet declarat, haec concedit „tibi (Abbati Cistercii) et successoribus tuis ac dictis abbatibus aliorum quatuor monasteriorum praedictorum nunc et pro tempore existentibus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus“, etc. Quae quidem monasteria ita superius determinata fuerant: „tuum et alia quatuor principalia tui Cisterciensis Ordinis monasteria post et per dictum monasterium tuum immediate fundata, primas quatuor illius filias nuncupata, condignis honoribus attollamus, ac specialibus favoribus et gratiis prosequamur.“ Insuper, quando in eodem privilegio sermo est de Ordinibus conferendis, caute distinguitur inter Abbatem Cistercii et quatuor primos Patres, ita ut unusquisque proprios subditos tantum ordinet: „tibi et successoribus tuis ut *quibuscumque Ordinis Monachis*, aliis vero *quatuor abbatibus praefatis* ac eorum successoribus, ut *suorum praedictorum Monasteriorum religiosis*, quos ad id idoneos...“ — Et inferius soli Cistercii Abbati concedit: „tibi et successoribus tuis *dumtaxat*, ut munus benedictionis huiusmodi (abbatialis) quibuscumque dicti ordinis abbatibus et abbatissis impendere, ac abbatibus et abbatissis praedictis ut dictum munus a te et successoribus tuis praefatis...“

Tenendum est ergo per dictum privilegium concessisse Innocentium VIII. abbatibus illis ut pontificalia exercerent in

ecclesiis alienis et a iurisdictione episcopali non exemptis.

Illud privilegium Innocentii VIII., sicut et anteriora in illo commemorata, semper fuit et est adhuc in viridi observantia: nam confirmatum est a plurimis Summis Pontificibus praesertim a Pio IV., In eminenti (VI kal. Oct. 1563), a S. Pio V., Ex innumeris curis (VIII Id. Martii 1570), a Gregorio XIII., Superna dispositione (12. Junii 1574), a Sixto V., Pontifex Romanus (17. Maii 1586), a Clemente VIII., Commoditati Monasteriorum (24. Julii 1595) et Romanum decet Pontificem (30. Jan. 1604), a Gregorio XV., Iniuncti nobis (3. Febr. 1623), ab Innoc. X., Exponi nobis (16. Junii 1653) et a Bened. XIII., In Apostolicae (25. Jan. 1729). — Istae antiquorum Ordinis Cisterciensis privilegiorum confirmationes¹⁾ extensionem indulti superius allati minime immutabant, ac proinde istud suffragabatur tantummodo Abbati Cistercii et primis quatuor Ordinis Patribus. Sixtus vero V., Romanus Pontifex (25. Julii 1586), in forma specifica confirmat et concedit de novo Regulari Observantiae Ordinis Cisterciensis in Hispania omnia privilegia aliarum Congregationum et Monasteriorum Ordinis Cisterciensis; quin et Gregorius XIV., Romanus Pontifex (28. Junii 1591), tribuit eidem Congregationi plenam et singularem communicationem privilegiorum cum omnibus religionibus, ac praesertim cum integro Ordine Cisterciensi, illi de novo concedens et innovans ac si ipsimet Congregationi fuissent directe concessa omnia privilegia etiam Abbati Cistercii et quatuor primis collata, ac proinde etiam indultum Innocentii VIII. Hujus ergo Congregationis Abbates omnia petant, quae Abbati Cistercii ex apostolicis constitutionibus licita erant, exceptis his quae ad iurisdictionem pertinebant. Hoc singulare privilegium, quod vi reciprocity communicationis ad omnes Ordinis Abbates se extendebat,²⁾ Romani Pontifices successive concesserunt directe omnibus Ordinis Congregationibus sive Provinciis: Congregationi Tusciae et Lombardiae, Gregorius XIV., Romanus Pontifex (6. Sept. 1591); Congregationi Germaniae Superioris, idem Gregorius XIV., Romanus Pontifex (20. Sept. 1591), Urbanus VIII., Romanus Pontifex (10. Julii 1624) et Innocentius X., Divina disponente (1. Junii 1646); Fuliensibus, quibus jam a Sixto V., Super specula (Idib. Novemb. 1587) et Clemente VIII., Pastoralis nostri (4. Sept. 1592), privilegia Ordinis Cisterciensis communicata fuerant, Paulus V., Divina disponente

¹⁾ Postremo memoratas Gregorii XV., Innocentii X. et Benedicti XIII. si excipias.

²⁾ Clemens VII., Devotionis augmentum. (22. Sept. 1532.)

(V. Id. Julii 1606), confert etiam et de novo concedit privilegia Abbatis Cistercii et quatuor primorum.

Nil ergo mirum si, in diversis posterioris aevi Romanorum Pontificum diplomatibus, istarum praerogativarum mentio habeatur, tum in rescriptorum precibus, tum in variis litteris Apostolicis, quibus nonnulli Abbates, ut a quorundam episcoporum cavillationibus sese expedirent, sibi directe concedi postularunt, quod iam communiter cum caeteris Ordinis praesulibus participabant, et quod eis per communicationem etiam competebat. Huius rei tria tantummodo afferam exempla, quae et in doctrinae propositae confirmationem erunt, et simul novae quaedam antiquorum indultorum concessionem, factae non solum indultariis, sed etiam, vi communionis perfectae privilegiorum et gratiarum quae inter diversa Ordinis Monasteria post modo allatas constitutiones existit, omnibus Cisterciensibus Abbatibus.

Urbanus nimirum VIII. Gregis Dominici (7. Dec. 1630) confirmans articulos concordiae inter Archiepiscopum et Canonicos S. Ambrosii Mediolanensis, ex una parte, et Abbatem et monachos Cistercienses ejusdem ecclesiae, ex altera parte, haec inter alia habet: „Liber usus Pontificalium Abbati monachorum non controvertatur in quibuscumque ejus functionibus ecclesiasticis. Sedes Abbatis ad usum Pontificalium exercendorum diebus, quibus illustrissimus Archiepiscopus solet in ecclesia S. Ambrosii solemniter celebrare, in latere epistolae apponatur: ceteris vero diebus Abbas in utroque latere, prout sibi magis libuerit Pontificalia exerceat.“ — Ergo in illa ecclesia, quae non plene ad Ordinem pertinet, Abbas potest iisdem diebus ac Archiepiscopus pontificaliter celebrare, nec ad certos dies, certasve functiones restringitur usus insignium pontificalium, sed liberum usum habet in quibuscumque ejus functionibus ecclesiasticis: ideo non restricte

„Decreta, prosequitur Pontifex, S. Congreg. Rit. tam quoad numerum ministrorum, quam quoad alia in solemnibus Abbatis celebratione seu functione (*quae tamen sunt in usu*) observentur.“ Ergo non omnia illa decreta, quae postea in saepedicto decreto, ab Alexandro VII. confirmato, fuerunt compendiose proposita, erant in usu pro Abbate Cisterciensi S. Ambrosii. Imo, ut adnotat Avignone (Manuale cist. Ital. Abbatum v. Pontificalia) in hunc concordiae articulum: „Ne disputari imposterum contingeret, an Decretis pluries a Sac. Rit. Cong. hac in rem evulgatis, comprehenderetur relatus Abbas sequens articulus expresse fuit adjunctus... Ut inde nimirum daretur intelligi, memoratis Sac. Rit. Congregationis decretis nequaquam ligari Abbatem S. Ambrosii in vim specialium indultorum ipsi, caeterisque cisterciensibus praesulibus per S. Sedem concessorum, et per concordiae

praenominatos arbitros discussorum: nisi aliunde illud forte evenisset quod re ipsa non contigit: ut videlicet Abbas ipse praeallegatis decretis ultro parendo, ac impertitis privilegiis per non usum resignando, eam sibi legem constituisset, quae illum minime comprehendebat, nec eidem fuerat praescripta.“ — Sed prosequamur nonnulla concordiae articula:

„Funeralibus Praepositorum et Canonicorum Monachi interveniant, et pariter Abbatum et monachorum Canonici. Quoad Ordinem, quando Praepositi aut canonici erit funus, Abbas, vel dignior post ipsum, Abbate impedito, in ejus locum, officium celebret mortuorum, et cadaver deferatur a monachis, ipsi a latere dextero cum canonicis a sinistro binis procedentibus. Cum vero abbatis vel monachi funus erit peragendum observetur ordine converso...“ Quis vero negabit funus et officium exequiale esse functionem ecclesiasticam? Poterat ergo abbas pontificaliter celebrare, interveniente capitulo, in funere praepositi vel canonici de gremio. — In eodem apostolico instrumento, ut plura omittam, leguntur denique haec verba: „In Vigiliis S. Ambrosii, ac SS. Gervasii et Protasii, Abbas celebrans cum monachis, ad altare S. Michaelis a latere canonicorum existens, antelatis insigniis abbatialibus procedat, ibique pro solita statione immoretur: et inde discedens, portamque maiorem ecclesiae egrediens, per plateam proximam ad ecclesiam D. Francisci pergat: redeundo per portam canonicalem, ingrediatur ecclesiam S. Ambrosii.“ Quae omnia certe usum pontificalium extra propriam ecclesiam praeseferunt; celebrare nempe in parte ecclesiae canonicis propria, per ipsam procedere, extra ecclesiam, imo in alienam ecclesiam pergere, et haec omnia antelatis insigniis Abbatialibus. Attamen S. Rit. Congr. (apud Gavantum in manuali v. Abbas) [17. Julii 1604] statuerat: „Non potest abbas extra suam ecclesiam uti Mitra et Baculo, neque ea ante se deferre.“

Imo Puricellus in Ambrosianae basilicae monumentis, pg. 1132, n. 52, ostendit Abbatem praedictum consuevisse Pontificalibus infulis indutum, cumque regali sceptro obviam ire in Dominica Palmarum Mediolanensi Archiepiscopo e Laurentiana basilica revertenti, usque ad Charubium Portae Ticinensis, sive usque ad parvam ecclesiam S. Materni, ubi illum ad Ambrosianam basilicam properantem, cum suis monachis et clero solemniter excipiebat. Ipse vero Archiepiscopus ex Caeremoniali Ambrosiano Beroldi „Abbati tribuebat magnum ramum palmarum...“ (Avignono v. Insignia Pontificalia.)

Aliud memorabile exemplum nobis suppeditat Abbas de Stams Ord. Cist. dioecesis Brixinensis, in Tyrolio. Is enim cum post edita sub Alexandro VII. decreta, sicut omnes Ordinis

Abbates, pontificalia more suo exercere non destitisset, a privilegiorum Ordinis usu per Brixinensem Episcopum fuit impeditus. Controversia ad S. Rit. Congr. delata, „super dubio: An liceat Abbati Monasterii Stambensis supellectiles sacras benedicere... altaria consecrare... vasa sacra... non tantum ad usum propriae ecclesiae... sed etiam ad usum aliarum ecclesiarum... die 22. Januarii 1735 responsum fuerit: Negative, et servantur decreta anni 1659. — Verum ad instantiam praedicti Abbatis, obtenta... nova audientia, et... proposito infrascripto Dubio: An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? S. eadem Cong... rescribendum censuit: In decisis et amplius — Die 31. Aug. 1737.“ (Gardellini, Decr. Auth. n. 4065.) — Nihilominus praedictus Abbas ad Summum Pontificem recursum habuit, et sui iuris bene conscius, pro manutatione Ordinis privilegiorum a Benedicto XIV., die 10. Junii 1741, litteras apostolicas in forma brevis, In suprema incipientes, impetravit. In quibus haec inter alia habentur: „Votis, ... monasteriorum regimini praesidentium ad sui, et monasteriorum ipsorum honorem et dignitatem tendentibus sollicitis studiis intendimus, atque illa in suis juribus... proficiant opem et operam efficaces, quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter adhibemus, ac ea quae propterea a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus provide emanarunt nostrae approbationis munimine solidamus...“ Repetitur postea ius ad pontificalia pro abbate de Stams a privilegiis superius adductis Innocentii VIII., Gregorii XIV., et Urbani VIII. „Cuius quidem communicationis vigore... primodicti (de Stams) Monasterii Abbates Privilegiis et indultis praefatis tam in propria eorum Monasterii Ecclesia, quam extra eam usque tunc et ab immemorabili tempore saepius usi fuerunt, donec paucis abhinc annis primodicti Monasterii ultimo Abbati a Ven. Fratre nostro moderno seu tunc existente Episcopo Brixin-n. sub aliquibus praetextibus usus Privilegiorum et Indultorum huiusmodi impeditus fuit...“ Narratur postea series controversiae et resolutio Sac. Rit. Cong. a nobis iam relata affertur. „Cum autem... resolutio huiusmodi non tam gratiis, privilegiis et indultis a nostris Praedecessoribus praefatis d. Ordini, et praesertim per viam communicationis pro tempore existentibus primod. Monasterii Abbatibus concessis adversetur... pro parte dicti Jacobi Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus sibi eiusque successoribus primod. Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus praefatis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur...“ Postea Summus Pontifex iura controversa eidem abbati confirmat ac de novo concedit: „ad formam Privilegiorum praefato Abbati Cistercii aliisque quatuor primis eiusdem

Ordinis Abbatibus praefatis per dictum Innocentium Praedecessorem, ut praefertur, concessorum benedicere, et cum Oleo ab aliquo catholico antistite confecto respective consecrare, ac omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus, praecellentis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, indultis, favoribus et gratiis quibus alii eiusdem Ordinis Abbates tam vigore indultorum et privilegiorum praefatorum, et seu *illorum communicatio iis huiusmodi* quam alias utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent *pariformiter* et absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac plenam, liberam, et omnimodam potestatem, licentiam et facultatem desuper impartimur...“ Quae omnia sub amplissimis clausulis derogatoriis, et derogatarum derogatoriis, motu proprio, ex certa scientia et ex plenitudine potestatis apostolicae, non obstantibus quibuscumque speciali et de verbo ad verbum mentione dignis conceduntur. — Hoc privilegium simul ostendit Abbates Cistercienses non esse comprehensos sub decretis pro restricto usu pontificalium a S. R. C. emanatis, ac omnibus per communicationem competere facultates Abbati Cistercii et quatuor primis pontificalia exercendi, tam intra quam extra proprias eorum ecclesias exemptas vel non ab episcopali jurisdictione, concessas.

Sed hoc expressius adhuc declaratur in privilegio Abbati Vallis Dignae Ordinis Cisterciensis, Valentinae dioecesis in Hispania a Pio VII., Sincerae tuae (die 31. Januarii 1804) collato. — Consulto exempla ex litteris Apostolicis Benedicti XIV. et Pii VII. afferimus, ut inde iam concludere liceat, an fuerit vere intentio horum Summorum Pontificum per decreta Sacrae Rit. Congregationis, quae nobis obiciuntur, antiquis Abbatum Cisterciensium derogare privilegiis. — Abbas igitur Vallis dignae, vel quia minus intellexerat vim indulti Innocentiani (quod tamen minus probabile apparet, attenta universali praelatorum Ordinis praxi, ut ex dictis constat, et ex dicendis melius constabit); vel potius quia privilegium pontificaliter extra ecclesias, non dico proprias, sed etiam Ordinis universi, licet non subiectas, ei tantum agnoscebatur, et ipsi ius in aliis ecclesiis pontificalia deferendi insignia denegabatur: hoc ultimum petiit sibi conferri. Nonnulla in Ordinis bullariis exempla habemus expeditionum litterarum Apostolicarum de privilegiis Ordini communiter collatis, ad instantiam et in favorem Abbatum particularium factarum. — Licet minus necessariae, haud tamen inutiles censentur illae expeditiones; induunt enim naturam novae cuiusdam antiqui privilegii concessionis et optimae confirmationis: per communicationem denique suffragantur totius

Ordinis Monasteriis,¹⁾ sive respective praelatis vel monachis. His dictis, en formalia Pii VII. privilegii verba: „Cum itaque... tu, qui monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis vel provinciae Valentinae abbas existis, privilegio deferendi Pontificalia, ut asseris, in ecclesiis tui Ordinis donatus, eadem Pontificalia etiam in aliis ecclesiis, quae ad dictum Ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres. Nos... tibi ac tuis in dicta Abbatia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium quam regularium ecclesiis, extra tamen almam Urbem nostram existentibus, ac requisita prius Ordinarii loci licentia, pontificalia deferre, et in pontificalibus celebrare, libere et licite possis et valeas, dictique tui successores Abbates pro tempore existentes pariter possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.“ — Quod quidem indultum, praeter restrictionem quoad Urbem, quae jam a multis annis sublata est, nec fortasse in usu erat cum rescriptum expeditum fuit, ut ex praxi hodierna et ex historiis et tractatibus Monachorum Ordinis Cisterciensis probari posset; quod, inquam, superius relatam indultum quae sint iura ac privilegia Abbatum Cisterciensium circa usum pontificalium extra Ordinis ecclesias, simul ac praxim exhibet. Libere scilicet et licite absque dierum, insignium et functionum limitatione in ecclesiis tam saecularium quam regularium, praevio tamen Rmorum Ordinariorum consensu, pontificalia exercere valent et solent.

II. Ex consuetudine antiquissima omnino certa. — Ut iam initio innuebamus, etiamsi nullum proferri posset indultum, non ideo reiicienda essent Cisterciensium privilegia in subiecta materia. Pro suis iuribus enim allegare possent antiquissimam, et quae iam quatuor abhinc saeculis citra hominum memoriam esse dicitur, consuetudinem: quae proinde privilegiata vocatur et indulti Apostolici praesumptionem ingerit. Ad rem quod attinet, Benedictus XIV, in epistola *Ex tuis precibus* (16. Novembr. 1748) ad Abbatem Campidonensem prima: „... Extat elenchus, quem nos ipsi perlegimus, in quo ecclesiae, quas Corbeiensis Abbas dicavit, enumerantur, nec numerantur dumtaxat, sed insuper momenta adduntur, ac probationes compulsatae in actibus tribunalis Romanae Rotae, occasione litis, quae inter Paderbonae Episcopum et memoratum Abbatem exarsit; quam deinde sequuta est decisio Rotalis coram Millino, nunc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, die 5. Februarii 1745.

¹⁾ Clemens VII., *Devotionis augmentum* (22. Sept. 1532).

Porro Corbeienses Abbates, Apostolicis privilegiis destituti, ad eiusmodi consecrationes perficiendas manum profecto non admovissent: ex quo *indubiam redditur sententia*, quae docet Romanum Pontificem posse Sacerdotibus, iis potissimum qui in Abbates evaserunt, auctoritatem ad ecclesias consecrandas conferre: quodque caput est, eiusmodi auctoritatem a nostris Praedecessoribus reipsa in usum fuisse revocatam. Praeclarissimus ergo Pontifex, ex facto existentiae diuturnae consuetudinis quae apud Abbates Corbeienses obtinebat ecclesias consecrandi, indubiam affirmabat reddi sententiam illorum qui tenebant Romanum Pontificem delegare posse Abbati potestatem ecclesias consecrandi, quia talis consuetudo argumentum certissimum erat de facto concessionis indulti apostolici.

Porro ex documentis allatis et ex auctorum attestacionibus mox afferendis constat Abbatibus Cisterciensibus pontificalia extra Ordinis ecclesias exercere in more fuisse, et consuetudinem istam iam a tempore Innocentii VIII. memorabilem praedicari. Legimus enim in bulla Exposcit (9. April. 1489) circa initium: „... Ex privilegiis apostolicis tibi et aliorum quatuor monasteriorum praedictorum abbatibus... pallas altaris et alia ornamenta ecclesiastica benedicere, ac mitra et annulo et aliis pontificalibus insigniis uti, necnon... benedictionem solemnem post missarum vesperarum et matutinarum solemnia... elargiri, ac ecclesias et monasteria dicti Ordinis... reconciliare valerent, diversis vicibus ac partibus quandoque sigillatim, quandoque simul, prout ipsa privilegia edocent, concessum fuerit, et ab aliquibus hesitetur an tu et dicti Abbates pallas et alia ornamenta huiusmodi *extra ipsius Ordinis Monasteria*, et etiam illa quae ad monasteria et loca dicti Ordinis non spectarent, et an possint in quibuslibet aliis Monasteriis et locis dicti Ordinis utriusque sexus benedicere, licet Abbates praedecessores a tanto tempore *citra cuius contrarii hominum memoria non existit*, praemissa omnia seu majorem partem facere consueverint.“

In libro autem cui titulus: „Pontificale ad usum almae observantiae Hispaniarum Cisterciensis Ordinis iussu Capituli Generalis recognitum et in lucem editum.“ Vallisoleti, 1629. — haec in prologo habentur: „Emmanuel Rodericus, tomo 7 quaestion. Regular. quaestion. 28, articulo 2, ut certum supponit Abbates sacrae nostrae Observantiae Cisterciensis, non solum pro suis monasteriis, filiationibus, et grangiis seu prioratibus, sed etiam pro quibusvis aliis ecclesiis posse aras, sive portatilia altaria consecrare, dummodo id faciant in suis monasteriis, *sed et extra ipsa*, si accedat consensus et licentia Dioeceseani. *Utrumque autem video*

esse in usu, neque est alienum a verbis privilegii et illius mente.“
Illius autem Pontificalis auctor est Illms. ac Rms D. Angelus
Manrique, Generalis Reformator, postea Pacensis Episcopus in
Hispania.

(Conclusio in fasc. seq.)

Die Theorie der Gefühle (*passiones*) nach dem hl. Thomas von Aquin.

Von Dr. P. Constantin Švorčík (O. S. B. Braunau).

Als eine der ausgezeichnetesten Leistungen des hl. Thomas auf dem Gebiete der Psychologie galt bei den Philosophen der Vorzeit unumstritten seine Theorie der Gefühle. Der Heilige widmet ihr in der *Prima Secundae* seiner theologischen *Summa* 27 Quaestionen in 133 Artikeln. Und in den anderen Werken kommt er immer wieder auf dieses Thema zurück. Ein Beweis, wie wichtig ihm die Kenntniss der menschlichen Seele von dieser Seite erschien. Mit richtigem Tacte fügte er die Lehre von den Leidenschaften der Seele in denjenigen Theil seines theologischen Lehrgebäudes ein, wo er die christliche Moralwissenschaft behandelt; denn eine wahre Sittenlehre ist nicht möglich ohne ein richtiges Verständniss des Gemüthslebens. Die Geschichte der Philosophie beweist es deutlich, dass Irrthümer auf diesem psychologischen Gebiete Verirrungen auf dem Gebiete der wissenschaftlichen Moral zur Folge hatten. Man denke nur an die Stoiker und an Kant.

Um die Theorie der Gefühle des hl. Thomas richtig zu verstehen, müssen wir uns die Fundamentalsätze seiner Psychologie vor Augen halten: Leib und Seele sind zu einer einheitlichen menschlichen Natur mit einander verbunden. Nicht wie der Schiffer den Kahn bewegt (Plato), bewegt die Seele den Leib, sondern Schiffer und Kahn bilden, obgleich real verschieden, dennoch ein einheitliches Wesen. Die Seele ist die Form des Leibes. Gleichwie der Bildhauer durch die Form dem Marmorsteine das eigenthümliche Gepräge gibt, so gibt auch die Seele als Form dem Körper ein eigenthümliches Sein, sie macht ihn zum menschlichen Leibe. Nur besteht der Unterschied, dass die Seele ein substantielles Sein hat. Sie ist mit Kräften ausgestattet, so einer doppelten Erkenntnis- und einer doppelten Begehrungskraft, nämlich einer sinnlichen und einer übersinnlichen. Die sinnlichen Kräfte wirken im Verein mit dem physischen Organ. Ihre Thätigkeiten sind, wie sich die neuere Psychologie ausdrückt, psychophysischer Natur. Die höheren Kräfte bethätigen sich an sich nicht mit Hilfe des Organs. Einen Platz für das